

2007

N O M I N I S

2008

C O D I C E S

L I T U R G I C I.

DCCCXX.

R. 17 **C**odex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 223. f. maj. per duas columnas luculente exaratus, rubricisque distinctus, *Liturgicus* est, et sequentia continet: I. Expositionem Partium Missae initio truncam, quae est *Amalarii Metensis* Scriptoris Sec. IX. *Eclogu* edita primum a *Steph. Baluzio* in *Append. Capitular.* dein a *Job. Mabillonio* T. II. *Musei Ital.* p. 549. Nobis superest a verbis: *O sanna, benedictus qui uenit. Gentiles quidam qui nondum erant dei* &c. et tamen *Mabillonii* textum, qui in *Art. de Praefatione* ita abrumpitur: *populum tuum de terra Aegypti* &c. ita subplet, ut non tantum integrum *Danielis* locum

referat, sed insuper addat: *Primo namque laudauit dominum in eo, quod deduxerat populum suum de seruitute graui, et postea deprecatus est de presenti tribulatione.* Sequitur fol. eod. 1. p. 2. *Qualiter quedam orationes et cruces in Te igitur agende sunt.* Video hic integrum haberi *Ordinem Romanum de Missa Pontificali*, quem ἀνεφαλον inseruit *Mabillonius*, infcius, integrum etiam in *Hittorpii* *Collect.* *Liturg.* p. 588. extare, et a *Baluzio* in *Append. Aetor. Vet.* T. II. *Capitular.* utriusq. Edit. col. 1366. connecti cum *Amalario* praecedente, dicto *Museo* T. cit. p. 61. Itaque do *Rubricas* praecedentes, quae ei defuere. Te igitur

tur — et benedicas. *Hic signat oblationem et calicem tribus uicibus. non tamen sub una cruce. sed separatim singulis singulas faciens cruces.* Haec dona — famularumque tuarum: illorum et illarum. *Hic nomina uiuorum memorantur si uoluerit. sed non dominica die nisi ceteris diebus.* Et omnium circumstantium — cosme et damiani. *Si fuerit nat. sanctorum. hic dicat. sed et diem natalitii beatorum illorum celebrantes.* Et omnium sanctorum — muniamur auxilio. per dominum nostrum. *Hic inclinatur se usque ad altare dicens.* Haec igitur &c. et deinceps, ut Edita, nisi, quod Noster habeat *diptios* (Hittorp. *dypticbos*) pro aequae mendoso *depticios*, item post *Pax Domini* &c. recte inserat rubricam: *Deinde dat pacem altari uel patene. et sic populus dat sibi pacem;* demum emendatius legit: *non permittit partem sanctam in calicem. sicut ceteris sacerdotibus mos est dum confringunt.* quam: *Non mittit partem de Sancta in calicem sicut ceteris sacerdotibus mos est. Dum confringit* &c. Et paullo infra, ubi Edita legunt: *confirmatur de calice*, Codex quidem a manu prima habet *confirmat*, sed secunda substituit *communicat*. Ad calcem minio notatur litera quadra: *Hac* (Haec?) *a Cenobio dionisii venit.* In usum igitur alterius cuiusdam Ecclesiae *Απογυαφον.*

Fol. 3. p. 2. eadem litera: Incipit Expositio Misse. Initium: Primum in Ordine Misse antipho-

na ad introitum canitur &c. Commentarius hic in singulas Missae Partes plurimum Praefationi et Canoni interpretando immoratur, lectusque videtur ex *Alcuino*, *Amalario*, *Rabano* &c. Sub finem accedit brevis Institutio de Sacramentis, et iterum de Officio et Ordine Missae, ita terminata: *Tunc predicatur a diacono licentia eundi peracta missa.*

Fol. 12. p. 2. rubro: In dei nomine pauca ex auditorum uoluminibus excerpta. Incipiunt de catholica ecclesia, et eius ministris, et de baptismatis officio. istud a palatio aquisgrani peruenit. Placet *Τοπιον* istud, quod utinam plures Codices praeferrerent! Ineunt haec Excerpta: *Ecclesia grecum est, quod in latinum conuocatio uertitur propterea quod omnes ad se uocet.* &c. Rubrica adlata non exhaurit totam Tractationem; nam post ea, quae de Baptismo traduntur, Expositio Partium Missae sequitur fusior ea, quam paullo ante memorauimus, et in haec uerba definens: *Et post missam finitam dicit diaconus ad populum. Ite missa est. Diaconus grece latine minister. Ille enuntiat populo quod finite sunt preces. quia nullus antea exire debet de ecclesia. quam nuntiatum sit de ministro. et omnes respondeant. Amen. uel deo gratias.* Multa ex *Isidoro Hispal. de eccl. Off.* alia item e supra citatis Autoribus.

Fol. 21. Haec et que secuntur capitula theotolfus episcopus edidit. Bene distinxit Librarius; non

enim a *Capitulari Theotulfi, Teutulfi, Theodulphi* natione *Gothi*, in cuius Epitaphio a *Mabillonio* prolato, et a variis relato pro

Protulit hunc Speria, Gallia sed nutrit,

legendum puto *Protulit Hesperia*, quemque *Carolus M.* ex *Italia* evocatum post medium *Sec. VIII. Aurelianensem* Praefulem creavit, initium ducitur, sed a gemino *Ejus Fragmento* homiletico, quod primus edidit *Luc. Dacherius Spicil. T. V. p. 117.* edit. recent. *T. I. p. 254.* *Jac.* vero *Sirmondus Opp. T. II. col. 1019.* repraesentavit. Quo minus ejus esse dubites, *Codex* noster *Autoris*, qui a. 821. obiit, temporibus vicinus fuit. *Orditur* vero *primum*, quod *Sermonem* potius integrum voces: *Ad uirtutes difficile consurgimus. ad uitia sine labore dilabimur &c.* ut in *Editis*; legitur tamen: *in maxima prorumpunt, pro in maximis, item: in immunditiam (mens) agitur, pro itur, item exemplo — manifestum est, pro aperitur, item premit elationem pro tremit, item et non prorumpunt pro ut non prorumpant &c.* *Secundum* *Fragmentum* incipit nobis rectius: *Quando peccatum quodcumque deletat &c.* quam ut habetur in *Editis*: *Quoniam peccatum &c.* Legitur illud etiam, ut *Pars* ultima *Sermonis CXVII.* in *Append. T. V. Opp. Augustini* edit. *Maur. col. 214.* ut adeo totus ille *Sermo Theotulfi* esse possit. Quod mirere, *Lacinia* illa ad *Desiderium* quendam, quam *Bigotus* in *Codice Va-*

ticano subnexam reperit, et *Dacherius* simul edidit, in *Nostro* quoque adhaeret; multo vero castigatior, ut deprehendet, cui operae pretium fuerit. Unum tamen non omittam. *Quaesiverat Desiderius* quis optime divinas *Scripturas* tractarit. *Primas* dat *Scriptor* *laciniae Augustino episcopo.* Ex hoc *Edita augustissimum episcopum* facere, neque error hic sagacissimum *Sirmondum* advertit. *Emendatus* tamen est in *secunda Dacherii* edit. *T. I. p. 257.*

Fol. jam 25. *Ipsa Theotulfi Capitula* auspiciantur, numero *XLVI.* ut a *Baronio, Busaeo,* et *Concilior.* *Collectoribus* saepius edita sunt. Neque hic deforet *lectionum spicilegium*, si cum *Dacherio,* aut *Sirmondo* contendas. Ita *Cap. I.* *Codex* habet *sacro sanguine* pro *unguine*, *Cap. II. oratione ornatur*, ubi *Edita* omittunt *oratione*, quod poni debet propter sequens: *lectio videlicet et oratio.* *Cap. IV.* *Edita* post *tres clericos* omittunt *sive laicos.* *Cap. VII.* pro *αλογω* illo: *responsione plebis, admonitione sacerdotis, responsione nihilominus plebis,* lege: *ita per ipsius admonitionem (allocutionem?) sacerdotis responsione nihilominus eget plebis &c.* *Adtexuit* ad *calcem Amanuensis Damasi* *Quaesitum* de *missarum Solemniis* quo tempore *agendis* ad *Hieronymum*

mum cum hujus Responso, sane spuria, item Gregorii M. Decretum, quomodo Homines de spe resurrectionis instituendi sint. Ceterum de Theobulfo adi, si videtur, *Franc. literar. T. IV. p. 459.*

Fol. 33. Haec capitula que seculantur ayto basilienfis ecclesie antistes et abbas cenobii. quod augia dicitur presbiteris sue dioecsis ordinavit. quibus monerentur qualiter se ipsos ac plebem sibi commissam caste et iuste regere atque in religione diuina confirmare deberent. Eandem rubricam praefereunt apud Dacherium Spicil. edit. secundae T. I. p. 584. haec XXV. Capitula Aytonis, Abytonis, Hattonis, Hettonis, sive Ottonis, qui fenex ad Coenobium suum reversus obiit a. 836. Initium primi est: Primo omnium discutiendum (discutienda) est sacerdotum fides &c. Finis ultimi: responsa ex integro exigant. Lektionis varietas pene omnis jam in edit. cit. adnotata est. C. II. noster melius profiteretur, quam profitemur; at C. VII. lepide triduana mersio pro trina. C. VIII. nomen sancti remedii transformatum est a secunda manu in Remigii, et recte fortassis, ut Rhemensem intelligas; Remedius enim Curiae Rhaeticae Episcopus, quem etiam Remigium adpellant quidam, Aytonis nostri temporibus nimium vicinus est. Ad calcem nobis: Finiunt capitula eitonis episcopi.

Fol. 36. Incipit libellus uulfridi strabonis de exordiis et incrementis quarundam in obseruationibus ecclesiasticis rerum. Opuscu-

lum hoc celebris Coenobitae an. 849. extincti post Cochlaei et Hittorpii editiones receptum est in PP. Bibliothecas, et legitur edit. Lugd. T. XV. p. 181. Praefert in Codice Hexastichon illud: Hoc opus exiguum &c. ut in Editis. Dein Praefatio ad Reginbertum cum C. I. coaluit. Atque in ea subplendus est Hittorpius Collect. suae Liturg. p. 382. Post verba enim ejus: Sed est, quod bujusmodi in coeptis, ut sensum habeant, inferre: me timidum consoletur, dum considero illos difficilioribus intentos leuiores transisse, et putasse nobis apta (aperta?) que sibi pro &c. et mox pro: attigimus lege perscrutans. Ita semper in veterum Exemplarium comparatione opis quiddam repositum est. Fateor tamen et membranas nostras ab Hittorpio in multis emendari posse, fecique experimentum in C. VII. ubi Librarius noster vocabula theotisca ita faepe corrupit, ut vix linguae nostrae usum aliquem habuisse videatur. Finis Opusculi: causam inquisitionis, qua melius exercentur. Sequitur Caput XXXI. Elenchus.

Fol. 65. p. 2. De Vestimentis sacerdotalibus. Initium: De ueste sacerdotali moderna &c. est Rabani Mauri de Institut. Clericor. L. I. c. 14. cum subsequis Capp. 15. — 24. ut apud Hittorp. cit. p. 318. et in Opp. omn. Rabani, Colon. 1627. f.

Fol. 66. In Nomine Unice Trineque Deitatis Incipit Traditio Orationis Dominicae Quod ita Incho-

Inchoatur. Nempe: Pater noster qui es in cælis. et reliqua. Interrogatio. Quomodo uocatur haec oratio? R. Dominica. Interr. Quare dominica dicitur? R. Quia dominus eam proprio ore composuit &c. An haec Catechesis jam prolata sit, nescio. Agit de Traditione Orationis Dom. pro Catechumenis Martenius de Ant. Eccl. Ritib. L. I. C. I. Art. 11. Finit nostra: sed potius liberet ab omni malo. Qui uiuit et regnat &c.

Fol. 68. Sequuntur Excerpta liturgica uidelicet e Rabano de Instit. Cler. L. I. Caput 24. et 31. ex Amalario de eccl. Off. L. I. Caput 37. et 39. L. III. Caput 6. 7. et 8. item 41. — 44. ut in Hittorpii Collect. habentur.

Fol. 74. Incipit De Baptismo. Et Omni Eius Ordine iuxta Indaginem Catholicorum. Nempe ex Isidori Hispal. L. II. de Offic. eccl. Caput 24. 25. et 20. 21. item varia ex ejus L. VI. Originum huc deprompta, item Job. Chrysostomi quaedam, et alia ex Alcuino, Leidrado, Rabano, Amalario de Baptismi ceremoniis ita in minores articulos dissecta, ut nimis operosum sit, suum cuique hic restituere. Quaedam etiam bis descripta sunt.

Fol. 82. Incipit Prologus Amalarii Episcopi. In Libro Officiorum. Seu in Libros IV. prout extant in Collect. Hittorpi. et Biblioth. PP. Lugd. T. XIV. p. 934. Initium nobis igitur a Praef. ad Ludovicum Pium, quae infit: Gloriosissime Imperator. &c. Praefatio altera deest, statimque suc-

cedit Elenchus Caputum. Caput XV. L. I. nobis fol. 107. p. 2. licet eandem cum Impressio rubricam praeferat, penitus diuersum est, incipitque: Post praecipit ordo, ut presbiteri afferant corpus Domini &c. et finit: et postea communicant omnes. Post fol. 113. membranae cum parte Capitis XXIV. usque ad Caput XXXIX. excidere. Liber II. inchoat fol. 116. absque titulo ab Elencho Capp. Liber III. eodem modo fol. 135. atque in hoc Libro, licet Elenchus Capp. cum Editis consentiat, rerum tamen ordo jam a fine Cap. II. alius est usque ad Cap. XXI. Quaedam porro post fol. 143. etiam exciderunt. Fini Libri continuo adscriptae sunt Epistolae VI. nempe Amalarii ad Hieremiam Archiep. Senon. cum hujus Responso, Amalarii ad Jonam Ep. ad Ramgarium, seu Rantgarium Ep. Noviom. et ad Hettonem Monachum, quas a Luca Dacherio Spicil. edit. novae T. III. p. 330. jam praeceptas esse video, et quidem longe castigatius, quam quidem e Nostro promi possent, qui ad earum calcem demum subjicit: Finit Liber Tertius. Liber IV. Praefatiunculam suam Elencho Capp. praemittit, et integer decurrit ad clausulam: Bibamus ergo pretium nostrum, ut bibendo redimamur. Explicit Liber Officiorum. Deo Gratias. Exemplum mendis quidem scatet; non desunt tamen, quibus Edita perficias; ita mox initio L. I. c. I. ubi Hittorpius legit: Septuagesima — finitur post Pascha Domini in septima sabati,

2017

LITURGICI.

2018

bati, fortasse rectius cum Nostro omiseris *το post Pascha Domini*. Caeterum Codex ob praecedentia, quae complectitur, non exiguus pretii est.

DCCCXXI.

R 85*. Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 134. f. nitidissime perscriptus et rubricis distinctus, complectitur I. Opus liturgicum de ecclesiasticis Officiis Amalarii, Scriptoris Sec. IX. quem alii chorepiscopum *Metensem*, alii Archiep. *Treverensem*, quidam neutrum ex his volunt, hic in III. *Libros* tributum, quam ego divisionem mallet, nisi *Sigebertus Gemblac.* et *Honorius Augustodun.* de IV. loquerentur. Effet enim Ordini ecclesiastico multo conformior, utpote, qui ab *Adventu Domini* orditur, quod nobis *Libri* I. c. 1. est, dum in *Editis inter Melch. Hittorpii* Scriptores, *Colon.* 1568. f. et in *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. ad *Libri* III. c. 40. ablegatur. Certe, qui *Capitum Indices* in *Codice* nostro singulis III. *Libris* praefixos expenderet, concluderet, hunc denique legitimum esse tractandorum ordinem, *Hittorpiumque* turbatis *Exemplaribus* usum fuisse. Neque vero ego describendis iis *Indicibus* hic paginas faciam, summatim tamen dicam: *Libro* I. percurri totum annum ecclesiasticum ab *Adventu Domini* ad *Litanias* majores, *Libro* II. explicari sacros *Ordines* et *rationem* canonicarum *Horarum*, denique *Libro* III. agi de *Tem-*

plis, *Vestibus* Sacerdotum, ipsoque per partes *Missae* Officio, quo nihil concinnius, si quidem *Indices* Editorum contra ponas. Initium nobis (*Edit. Lib. III. c. 40. Hittorp.* p. 208.) *In antiquis libris missalium et lectionarii repperitur scriptum ebdomada V. ante natale domini &c.* Finis vero Operis C. 34. *Libri* III. (*Edit. c. 8. Hittorp.* p. 182.) *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* Textus sat castigatus. Praefationes defunt.

II. fol. 121. p. 2. *Incipit epistola alcuinii diaconi ad imper. karolum.* Illa nempe, qua III. illi de *Fide S. Trinitatis* *Libros* inscribit. *Domino Glorioso Carolio* (sic) *Imperatori &c.* *Dum dignitas imperialis a deo ornata ad nil aliud exaltata esse uidetur &c.* Ut edit. *Ratisb.* 1777. T. I. Vol. 2. p. 703. f. qua cum contuli, et minus emendatam reperi. Absunt praeterea tria *Disticha*, neque *Opusculum* ultra *Librum* I. procedit, etiam si Scriptor fol. 122. p. 2. adferat, omnes tres inesse. Quin etiam *περιουσια* illa ultima c. ult. *Jam vero sublimitas hujus &c.* abest.

III. fol. 128. p. 2. *Incipit oratio eusebii de corpore et sanguine domini.* Initium: *Magnitudo celestium beneficiorum angustias humanae mentis excedit &c.* In *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 636. inscribitur *Homilia V. de Pascha.* De *Eusebio* illo *Gallicano* Episcopo nildum certi, *Homilias* ei tributas aliis ad *Eucherium Lugd.* aliis ad *Brunonem Astensem*, quin et *Caesarium Arelat.* referentibus. Praesens